

vitæ Genus subij, et Medicam praxim invitus suscepi, ne omnia mea in pejus ruerent. Jam vero per D. O. M. Providentiam a gravioribus curis amodo sublevatus, occasionem tibi rescribendi lubentissime excipio, quam Exc<sup>ma</sup> et Gratosissima Domina Comitissa de Sparrhe<sup>2</sup> a nobis invitis discedens, benignitate qua solet, obtulit. Duo itaque potissimum nunc adimplere mihi propono, ipsamet, quæ olim intendi, exequi tamen nequivi. Primum Matritensis Cæli solique merita in Floram candide innuere, alterum de Avibus quarum notitiam a me sperabas, mentem meam vel aliorum Aviariæ Rei peritorum patefacere.

Nemo inficias ibit Clima hoc Matritense in Meditullio calidæ Hispaniæ situm blandius et mitius esse vestræ gelidæ Sueciæ, adeoque ejus solum Cereri et Floræ gratius adesse. Ne ideo tamen putes quemque Rei Herbariæ studiosum satis beatum (qualem me predicās), eo quod Clima hoc inhabitet, nisi enim quis bihorium ab Vrbe recedat; nil offendit præter arenosos campos, cretaceos Colles et arida Gypseta, ubi locorum paucissime sane germinant stirpes, eæque Oculos vix ferientes, multo minus oblectantes, Mei potissimum, qui in Ceritania (celsiori Cataloniæ tractu Pyrenæis obvallato) natus et adultus, vberimas segetes, amænissima prata, Convalles, Pascua, Montes, Sylvas, Stagna et juga frequentare solitus, plantas pulcherrimas vbivis conspiciebam, quarum non paucas D. D. Sauvagesio, Præceptori meo semper colendo, quamdiu patriam tenui, communicavi, aliquot dein lustrandas commisi Amicissimo olim Löfflingio, cujus nunquam immemor ero dumdem mens memoriam servabit.

Non propterea negandum rariores nonnullas et speciosas plantas hic illic vicinarum in conspectum venire, quas nemo forsitan Botanicorum ad Artis leges hodie[r]num receptas examinare potuit, eo potissimum quod Matritense solum præ Cæli siccitate, et jumentorum libero aditu, plerisque annis vel seminum proventu orbetur vel nascentium stirpium amœnitate spoliatur. Quibus ita se habentibus nemo speret Floram hanc detegere nisi longa annorum serie; quas enim plantas semel videre feliciter contingit, vix amplius invenire licet nisi earum semina providus collegerit, ad hortos detulerit, et ex voto germinasse viderit. Hoc labore hacque industria obtinui post sexennium 600 circiter plantas observatas, descriptas, et Chartæ conglutinatas, quarum plusquam 200 rariores, parum vel nihil notæ, vel ad aliena genera relatæ; inter quas multæ quantum adsequi possum, novæ, idcirco adumbrationibus et Iconibus ad naturæ ductum illustratæ, eum in finem ut aliquandiu publicæ luci edantur, si otium et occasio ferant, faveatque tui consilium.